


**DISSERTATIO**  
MEDICO-PRACTICA  
DE  
**TYPHO CONTAGIOSO,**

QUAM  
FINE OBTINENDI IN R. SCIENT. UNIVERSITATE  
PESTIENSI GRADUS MEDICINAE DOCTORIS,



**STEPHANUS ZSOGOVITS**

Hungarus Bihariensis.



01 JUN 2004

Theses adnexae publice defend. in aedibus Facultatis  
Medicae mense Februario a. 1833.

---

**PESTHINI,**  
TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

**Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis.  
Ennius.**



JÓ

**ÉDES-ANYJÁNAK**



**TISZTELETE, SZERETETE 'S HÁLÁJA**

J E L É Ű L

A'  
**SZERZŐ.**

Ehre, dem Ehre gebühret.



## I n t r o d u c t i o .


§. 1. Quemadmodum omnis morbus late per populum grassari solens, ita et typhus contagiosus duplicem meretur considerationem. Scilicet, quatenus publicam laedit sanitatem, *politicae medicae* objectum constituit; quatenus vero hominibus singulis insidiatur, ad forum *therapiae speciatim* pertinet. — Loci et temporis angustia limitatus, cum hic posteriori solummodo respectu pertractare admittar, quin tamen ideo politicas quoque, quae circa illum fieri debent, coordinationes, paucis attingere negligam. — Referam vero summe necessaria 1) de *nomine*, 2) de *factis*, 3) de *attributis*, 4) de *differentiis*, 5) de *decursu*, 6) de *diagnosi*, 7) de *causis*, 8) de *natura*, 9) de *praesagio*, 10) de *cura* ejus. — Transibo igitur nunc ad typhi contagiosi

## N o m e n .

§. 2. Typhus contagiosus, a *τύφος* (*stupor*), item ab indole sua contagiosa sic dictus, in scriptis antiquorum medicorum diversissimis sub nominibus latere videtur. — Plurimi auctores saeculorum pro-

xime elapsorum morbum hunc cum febris nervosa, vel putrida confundunt. Sennert eum vocat *febrim hungaricam* seu *pannonicam*, *morbum hungaricum*, *cephaleam hungaricam*; Sprengel *febrim nosocomialem*, *navalem*, *carceralem* et *castrensem*; Hufeland *febrim bellicam*; Reuss *febrim maculosam*. Hung. dicitur *ragadós hagymáz*; Germ. *ansteckender Typhus*, *ansteckendes Fleckenfieber*, *Spitals-*, *Kerker-*, *Schiffs-*, *Lagerfieber*, *Kriegspest*; Ital. *tifo contagioso*; Gall. *fièvre contagieuse*, *- pourprée*, *- pétéchiiale*, *fièvre d' Hongrie*; Angl. *the typhous fever*. —

Juvabit nunc paucis pertractare morbi hujus



§. 3. Morbum hunc generi humano, aut saltem vitae sociali esse coevum, jam ex mera adjunctorum genesi ejus faventium consideratione, abunde liquet. Magis adhuc de veritate hujus sententiae nos convincit historia, frequens haec calamitatum humanarum testis. Celeberr. ab Hil d e n b r a n d, in opere suo eximio de typho contagioso, non sine fundamento asserit, *multas epidemias, sub nomine pestis apud historicos descriptas, nil aliud fuisse, quam typhum hunc late extensum, quin, vix unquam bellum absque typho occurrere*. Luculentissima hujus rei exempla nobis praebent, ex antiquis historicis, Thucydides et Diodorus Siculus. Pestim, quam prior disertissime describit atticam, eandem cum typho bellico fuisse, Andr. Wawruch <sup>1)</sup> egregie demonstravit.

<sup>1)</sup> Tent. méd. sist. antiqu. typh. contag. Vien. 1812. p. 42.

Haud minus cum typho contagioso convenit morbus, tempore obsidionis Syracusarum inter Carthaginenses furiens, ab altero praelaudatorum historiographorum <sup>2)</sup> adnotatus. — Dirissimum hunc morbum, strages suas inter Romanos quoque non una vice edidisse, etiamsi illum apud historicos, fata belligeri hujus populi referentes, non reperiremus: ex innumeris pene, quos Roma orbi universae intulerat bellis, omni jure concluderemus.

§. 4. Nec desunt manifesta morbi hujus, in operibus antiquorum medicorum, vestigia. Ita, monente eximio ab Hildenbrand <sup>3)</sup>, occurrens in scriptis Hippocratis genuinis <sup>4)</sup> fida morbi cujuscumque popularis imago clare demonstrat, typhum contagiosum, cum omnibus suis symptomatibus essentialibus, et proprio decursu, jam tunc observatum fuisse. Cel. M. E. A. Naumann <sup>5)</sup> asserit, apud Galenum <sup>6)</sup> sat exacte describi typhum petechialem. Eodem auctore constat <sup>7)</sup>, morbum hunc per Avicennam quoque, et anno 1463, per unum e hujus commentatoribus Jac. de Partibus, medicum gallum, fuisse descriptum.

§. 5. Perhibente tamen Omodei <sup>8)</sup>, typhus contagiosus, et quidem ille, qui anno 1478. late per Italiam fuit extensus, per medicos itales prima vice ex-

---

<sup>2)</sup> Biblioth. histor. L. XIV. c. 70. 71. <sup>3)</sup> in op. inf. cit. p. 20. <sup>4)</sup> De morb. popular. L. II. III. <sup>5)</sup> Handb. d. med. Klinik. Berlin 1831. Tom. III. sect. 1. p. 280. <sup>6)</sup> Meth. med. L. V. c. 12. <sup>7)</sup> in op. cit. p. 281. <sup>8)</sup> v. Franc. a Bene praelect. mss. de typh. contag.

actius descriptus est. — Abhinc, ad nostra usque tempora, medici morbum hunc saepius observarunt, et pro diversitate epidemiarum, diversis item, quos ipsi de morbo haberent conceptibus, varie modificatum, variisque, ut superius (§. 2.) vidimus, sub nominibus descripserunt. Ita, (ut praecipuas saltem morbi hujus strages, saeculis proxime elapsis editas adferam), epidemiam typhodem, quae in exercitu Maximiliani II., anno 1566. ad Comaromium locato exorta, omnem fere inundavit Europam, imprimis Sennert, nominibus supra (§. 2.) adductis descripsit. Eundem hunc morbum, per Turcas ab obsidione Viennae anno 1688. reduces Hungaris, per hos vero Germanis communicatum, eruditus professor halensis Alberti, et Frid. Hoffmann, nomine *morbi pestilentialis hungarici*, descripserunt. Qualis in bello inter Anglos et Gallos in Belgio gesto, ab anno 1730. usque an. 1770. in utroque saeviit exercitu, per celeberr. Pringle, sub nomine *febris ardentis*; qualem autem se paulo post in bello septennali borusico-austriaco praebuit, non tantum per Baldingerum cel. tunc medicum militarem fuisse, verum etiam per ipsum regem magnum Borussiae breviter, descriptus est.

§. 6. Uberrimum vero morbum hunc observandi campum medicis aperuit saevum, quo sub finem proxime elapsi, et initio praesentis saeculi, universa fere Europa arsit, bellum gallicum. Praestantissima harum observationum resultata habemus in sequentibus operibus: Joh. Val. v. Hildenbrand, *Ueber d. ansteckende Typhus. Nebst einig. Winken zur Beschränk. o. gänzl. Ausrott. d. Kriegspest.* 2. Aufl.



Wien 1815. — Ph. K. Hartmann, *Theorie d. ansteck. Typh. und seiner Behandl.* Wien 1812. — J. Reuss, *Wesen d. Exanth.* 1. Th. *Das Fleckfieber o. die Kriegspest.* Aschaffenh. 1814. — Ch. W. Hufeland, *Über d. Kriegspest. alter u. neuer Zeit.* Berl. 1814. — J. Armstrong, *Practical observations of typhous a. other febrile diseases,* Lond. 1817. — E. Percival, *Practical observations on the treatement, pathologie a. prevention of typhous fever.* Lond. 1819. — F. E. Acerbi, *Dottrina teoretico-prattica del morbo petechiale, con nuove ricerche intorno l' origine, l' indole, le cagioni, la cura e la preservazione del morbo medesimo.* Mil. 1812. — Omodei, *Del governo politico-medico del morbo petechiale, con un prospetto nosografico-statistico comparativo della febre petechiale, che ha regnato epidemicamente nella Lombardia nel 1817.* 1818. Milano 1822.

Epidemiam 1824 $\frac{4}{5}$  Pestini regnantem observarunt et descripserunt: Frid. Eekstein, *Diss. inaug. med. sist. memor. clin. etc.* Pestini 1825. — Car. Kósa, *Diss. inaug. med. de epid. an. 1824 $\frac{4}{5}$  Pestini regnante.* Pestini 1826.

His ita visis, exponenda jam sunt typhi contagiosi

## A t t r i b u t a.

§. 7. Etsi morbus hicce, pro vario, quo oritur modo, pro varia aegri, et epidemiae regnantis constitutione, pro variis item, sub quibus decurrit influxibus externis aliis, varius omnino appareat, diversisque aliis morbis similis sit: in eo tamen ubi-

que sibi convenit, eoque ab omnibus aliis discrepat aegritudinibus: quod, *sub certis ortus conditionibus praeter symptomata febris, ut plurimum initio inflammatorio-catarrhalis, tardius nervosae, peculiarem quamdam temulentiam cum delirio conjunctam* (τυφοειδία), propriumque exanthema offerat.

§. 8. Ex iis, quae nunc diximus, elucescit quidem, typhum contagiosum constituere morbum sui generis, natura sua semper eundem; sed patet simul, illum pro diversitate circumstantiarum superius allatarum, non raro alium atque alium semet observatori sistere. Videndum igitur nunc venit, quaenam sint notatu digniores typhi contagiosi

## D i f f e r e n t i a e.

§. 9. Differt autem morbus hic praecipue:

I. *Ratione originis*, quo respectu vel est *originarius*, id est, sub influxu aëris peculiari modo corrupti (*miasma typhosum*), absque interventu contagii, evolutus; vel communicatus, videlicet, per actionem contagii, ex homine typho laborante emanantis, in alium hominem, excitatus. — Differt

II. *ratione decursus*, respectu cujus vel est *regularis* seu *normalis*, vel *irregularis* seu *abnormis*. Typhus contagiosus regularis dicitur ille, qui per contagium vel *miasma typhosum*, in homine antea sano provocatus, in decursu suo, tramitem per naturam causae excitantis sibi praescriptum prosequitur; ille vero, qui a normali quomodocunque demum ab-

ludit, irregularis audit. — Qua ratione typhus contagiosus irregularis a regulari abludat, inferius, ubi de decursu ejus sermo erit (§. 22. et seqq.), patebit. — Considerandus ergo nunc est

## D e c u r s u s.

### I. Typhi contagiosi regularis.

§. 10. Morbus hic, dum regularis est, curriculum suum, certis tunc et determinata lege sibi succedentibus phaenomenis distinctum, per definitum tempus emetitur. Hanc phaenomenorum seriem diversi auctores, limitibus non tantum numero, sed etiam loco diversis, in stadia jam plura jam pauciora, jam has jam illas morbi apparationes continentia, diviserunt. Usitatissima divisionum harum est ea celeberrimi ab Hildenbrand in stadia 8, in stadium nempe infectionis, opportunitatis, invasionis, inflammatorium, nervosum, criseos, decrementi, et convalescentiae. Ex his stadiis, primum cum secundo, tertium cum quarto, sextum cum septimo, et hunc cum octavo conjungere, ac proinde stadia typhi contagiosi quatuor tantum, (eadem ferme quae cel. Naumann) assumere, ex sequentibus mihi placuit motivis: 1) stadium (rectius momentum) infectionis tam exiguum explet temporis intervallum: ut, etiamsi praesentiam suam, (quod tamen teste cel. ab Hildenbrand <sup>10</sup>) vix unquam, vel nec unquam fit), signis quibusdam manifestet; magis tamen ini-

---

<sup>10</sup>) l. c. p. 134 et seqq. <sup>10</sup>) in op. cit. p. 36.

tium, quam stadium morbi dici mereatur. 2) stadium invasionis quidem spatium aliquot horarum, (rarius plurium) occupat; ast, cum aequae tantum initium febris, in stadio subsequo vigentis constituat, illud ab hocce (febrile a febrili) separandum minime censeo. 3) demum stadium criseos, decrementi, et convalescentiae, communi caractere, successiva videlicet, et nusquam interrupta sanitatis reversione, usque adeo sibi conveniunt: ut simul pertractari omni certe jure mereantur. — Sublatis ita stadiis quatuor ex iis cel. ab Hildenbrand, quatuor illa quae remanent, utique jam (uno excepto) immutata, sub nomine stadii *prodromorum, catarrhali - exanthematici, nervosi et convalescentiae*, eo nunc, quo in natura semet excipiunt, percurram ordine.

§. 11. Primum omnium est *stadium prodromorum*, (*infect. et opport. Hildenbr., infect. et incubat. aliorum, infect. Hartmanni*), quod a momento suscepti contagii, (quibusdam sensatione ictui electrico simili, aliis odore peculiari ingrato, plurimis nullo se manifestante indicio) ordiens, saepe vix ulla; ut plurimum tamen aliqua, etsi pauca, sanitatis laesae offert symptomata; quo imprimis dedolatio artuum, capitis gravitas et dolor obtusus, animi morositas, appetitus cibi imminutus, somnus inquietus referri merentur, minime utique characteristicae.

§. 12. Stadio hoc, in plurimis casibus per 3 — 7 dies duranti, succedit *stadium catarrhali - exanthematicum*, (*invas. et inflamm. Hildenbr., invas. et inflammatorio - catarrhos. seu exanth. seu irritativ. seu ebullit. alior., reaction. Hartm.*), quod saepe aegrum

antea nil morborum offerentem, repente, cum horripilatione, spinam dorsi, caput et pectus perstringente, mox in frigus transmutanda, invadit. Horripilatio haec et frigus, initio cum calore alternans, post 6 — 12, (rarissime 24 aut plane 48) horas, transit in calorem continuum, mane remittentem, vesperi incrementem; cutis externa, per totam nunc suam superficiem, praecipue tamen in facie turgens et rubens, hinc inde ad sudorem usque, (volentibus quibusdam <sup>11</sup>) odore proprio) perspirans, tangitur calida; sitis intensa in frigida dirigitur acidulaque, urina parca et flammea, nec semper absque dolore evacuat; arteriae, tactu plenae duraeque, celeriter et valide micant; artuum porro dedolatio magna, invincibilis quaedam psyches et corporis segnities, dolor capitis obtusus, vertigo et temulentia, ei baccho, vel sopientibus stupefactorum simillima, cum delirio miti ad vespertas tantum, nec in omni aegro conjuncta, somnus item imperfectus, eminentissima vel hujus jam stadii constituunt symptomata.

§. 13. Cum his, quae praeter *febrim* cum exaltata activitate cordis et arteriarum, singularem adhuc produnt systematis nervosi tentationem, semper et talia adsunt phaenomena morbosa, ex quibus ad plus vel minus eminentem membranarum mucosarum passionem, *catarrhum* videlicet, jam in una jam in alia organismi parte praecipue evolutum, concludimus. Hujus generis sunt: susurrus aurium; sensibilitas adaucta, rubor et splendor oculorum; cephalaea premens, molesta siccitas, vel obstructio narium,

<sup>11</sup>) v. Naum. l. cit. p. 138.

sternutatio, rhinoblennorrhagia; rubor cavi oris et faucium, uvulae ac tonsillarum tumor, deglutitio difficilis; oppressio pectoris, rauco, laryngis et tracheae titillatio, tussis jam sicca, jam mucum, initio tenuiorem, tardius spissioem educens; lingua parum tecta, sapor oris fatuus, sputatio frequens, anorexia, nausea, vomituritio, vomitus initio ingestorum semidigestorum, dein mucii aut bilis; tensio, tumor et dolor regionis epigastricae, inprimis hypochondrii dextri; alvus ut plurimum clausa, saepe tamen sub doloribus colicis ruens. — Est etiam, ubi dolores lacerantes, scindentes et pungentes, in diversis corporis partibus, membranis serosis et fibrosis instructis accusati, *rheumaticam* earundem partium *affectionem* producit.

§. 14. Incassum tamen mala haec sive antitarrhalibus, sive antirheumaticis impugnabis remediis: morbo enim gradum hic nequam sistente, frequentissime die 4 hujus stadii, post praegressam saepe symptomatum catarrhalium exacerbationem, haemorrhiniam subcriticam, inquietudinem, anxietatem, cutis turgorem majorem et pruritus, comparet exanthe-  
 ma morbo huic proprium, *purpura typhosa* dictum; refert haec maculas rubicundas, magnitudine ut plurimum lentem minorem aequantes, plus minus rotundas, sed marginibus inaequalibus, quodammodo laceris praeditas, cutim quidpiam eminulas, segregatas vel varie confluentes, nec prurientes nec dolentes, pressione subito sufferendas, ante omnia in pectore, dein in brachiis et dorso erumpentes, mox vero cutim omnem, (facie ut plurimum excepta), inundantes;

has inter, teste Naumann <sup>12)</sup>, in nonnullis epidemiis maculae papulosae quoque, vel papuloso-vesiculares (*exanthema typhosum papulosum*), subinde miliaria etiam et petechiae, (ad pressionem non disparentes), occurrunt.

§. 15. Post absolutam, per 2 frequentissime dies, purpurae typhosae eruptionem, aegros breve, de contingente in plurimis casibus aliquo levamine recreat gaudium: die enim hujus stadii 7 in 8 vidente, ut plurimum symptomata morbi evadunt interiora, praecedenteque non raro iterum epistaxi, qua, evolvitur *stadium nervosum*, (*idem Hildenbat. alior. adynamic. Hartm.*), sub quo calor cutis incit, fit mordax; cutis ipsa, in priori stadio t-sa-purpuraque typhosa rubri instar marmoris pictu, anthemate hoc nunc privata, miliarium vero *ntiae*, chiarum, (frequenter nunc primum *erumpit*. et longe ditior, in facie quidem cum rubore Innium concidens pallet alibi, imo fuscum aut sutima-induit colorem, fitque saepenumero ut *perg. dif-* sicca rigidaque; nares fuligine, mucoque in crustas profunde tinctas indurato, obstruuntur; os, faucesque exsiccantur; arescit lingua, haud raro et finditur, saepe insuper prominentibus papillis, limae adinstar tangitur aspera, frequentius tamen crusta fusca aut nigricante augetur; dentes quoque simile non raro gerunt involucrum; abdomen meteorice tumet; sensilia, imo dolentia intestina explorantem manum reformidant, frequentibusque, in quas nunc proniores fiunt evacuationibus, supplere quodammodo conan-

<sup>12)</sup> l. c. p. 145, 146.

tur silentem cutis externae functionem; pulsum arteriarum multum quidem variabilem, in genere tamen nec valde frequentem, nec nimis parvum, aut mollem reperies; lotium mittitur ut plurimum copiosius, pallidum et limpidum, vel saltem non multum turbidum, raro hypostaticum.

§. 16. *Symptomata nervosa*, in praecedenti jam stadio observata, intensitate et numero nunc multum augentur: caput namque evadit gravissimum; vertigo minimam quamque adstrictionem muscularem ubi deparet; temulentia abit in soporem, somnos turdiversis saepe imaginibus terrentes eo crebrius in-brosis item, quo frequentius illi aegrum fugiunt, vel et tium affadducentem, qui nil minus abominabiles, diffi-abiguntur, mox iterum reversuri. Sensus ex-

§. 14. it obtusiores; sic oculi, nunc vigore omni or-tarrhalibus ne aspectum truncem exhibentes, nunc item diis: morum in modum defixi, hiantes licet saepe pupilla, frequentis, vel ne sic quidem vident; aures ut plurimum saepe si susurrum, aut tinnitum percipiunt; tactus in cuti vix aliquis, vel nullus plane superest; nec nasus, lingua ac palatum in proprios stimulos reagent. Prostratus non minus est sensus communis: etenim, nec fames accusatur, nec sitis, licet aqua ori admota avidissime deglutiatur; haud magis urinae, faecumque sentitur stimulus; hinc hae, ni inscio ruant aegro, retinentur. Organa sensuum internorum, stupore gravi obsessa, animae nil ferme, vel fictas tantum, easque ut plurimum tristes, nec facile mutandas praesentant imagines; hae aegros, ut plurimum vera apathia laborantes, saepe parum occupant, saepe tamen desperatos, ad aufugiendum, laesiones



item sibi et aliis inferendas, determinant. Vis musculorum voluntate regendorum, sub furioso saltem delirio, proque aliquot momentis augenda, ut plurimum tam exigua est: ut aegri proprio ne jacere quidem valentes robore, per dorsum versus pedes dehiscant; plurimi, dum motus suscipere tentant, tremunt; haud raro et convulsiones, tendinum subsultus, singultus, tussis item et dyspnoea spastica, gravissimorum symptomatum numerum augent.

§. 17. Quae vero omnia, postquam saepe jam die febris 10, exacerbatione quadam sine desiderato successu reprimi tentata fuissent, praegresso 7 ut plurimum hujus stadii die novo, eoque summo inter morbum et organismum conflictu, *crisi* vera salutari, frequentissime uno quasi sufferuntur ictu, adestque tunc optatissimum *stadium convalescentiae*, (*cris.*, *decrem.* et *conval.* Hildenbr., *stad. critic.* et *epocha conval.* Hartman.). Si stadium hoc omnium longissimum, in regula per 1, 1 1/2 aut 2 septimanas excurrentem cum priori compares, multum differentem in utroque invenies rerum faciem. Sic cutis, quae paulo ante calore ingrato, aridaque indole displicuit, nunc a sudore salutari, per totam ejus superficiem diffuso, saepe singulariter olente, amoenae calens, humida et mollis tibi occurret; nec rara est miliarium furuncolorumque cum sudore hoc contingens eruptio. Mox ubi felix evenit mutatio, aegrum e summis morbi periculis eripiens, reversuram sanitatem ex aliis etiam, quam quae cutis externa suppeditat signis depromere licet, ab iis praecedentis stadii haud minus abludentibus. Talia sunt: largum saepe, sed allevians sanguinis ex organo olfactus

profluvium; mucii sicci, nares, linguam et fauces sub priori stadio incrustantis, per resurgentem in his quoque partibus secretionem emollitio et evacuatio, hancque subsequens earundem partium depuratio; frequens et larga faecum liquidarum vel pultacearum, nimis ingratis subinde olentium, cum summo nunc levamine contingens dejectio; mictus item urinae, ut plurimum nunc jam turbidae, et enaeoremate copioso, vel sedimento albo aut lateritio instructae.

§. 18. Dum mutationes hae summe conspicuae in periphericis organismi partibus accidunt, haud minores semet observationi sistunt revolutiones in organis penetralia corporis incolentibus. Quid enim plus est, quam conscientiam, ante paucas adhuc horas alte silentem, subito saepe, acsi aeger e profundo somno evigilaret, reverti? aut hominem, non pridem erga nullum stimulum sensilem, frequenter intra brevissimum tempus, vivido percelli sanitatis appropinquantis gaudio? Sane, aegri, ut cel. ab Hildenbrand se exprimit, paulo ante trunco stupefacto non absimiles, gratitudinis nunc amicitiaeque studiosissimi fiunt, summaque erga oblectamenta quaevis sensualia feruntur propensione: olfactu namque et gustu restitutis, appetentia cibi prae primis carnosissimi, et potus spirituosissimi nimia plane nonnunquam evadit, et convalescentibus perniciose; nonnulli horum tardius venire ultra modum torquentur, haud minus sibi insidiosa. Hypercinesiam, debilitati tamen ubique junctam, praeter enumerata modo symptomata, insuper arteriae stimuli impatientissimae, frequens initio hujus stadii sternutatio, et deglutitio saepe dolorifica, aures, oculique propriis etiam stimu-

lis facile offendendi, nec statim officio suo debite fungentes, frequens et repentina animi affectuum mutatio, nisus in somnum non ubique adhuc placidissimum, nec statim multum reficientem, certus temulentiae ne nunc quidem penitus profligatae gradus, mentis, et musculorum non sine ingrato debilitatis sensu tentanda adstrictio, insignis tandem macies, observatori vel superficiali satis superque produnt. Sed nec desunt, quae summum testentur virtutis vitalis in perficienda sanitate conamen; huc epidermidis sphacelo consumtae, cutim initio hujus stadii lurido adhuc colore tingentis, forma squammularum secessus, huc capillorum defluvium, huc jactura ungvium, tanquam totidem inchoantis omnium harum partium regenerationis signa, pertinent.

§. 19. Restituto successive functionum omnium concentu, et resarcitis, quae morbo gravi consumtae fuere materiis viribusque, non tantum pristina in plurimis casibus adest *valetudo*; sed et id interdum evenit: ut individua juniora sanitatem firmiorem, citum corporis incrementum, conspicuamque physicam et psychicam evolutionem, adultiora obesitatem, morbo quopiam, aut discrasia aliqua affecta, suam a morbo vel discrasia sanationem, *benigno* tunc in acceptis referant *typho contagioso*.

§. 20. Neque tamen morbus hic semper ita mitem, innocuum aut plane salutarem se praebet; imo vero haud raro non tantum periculosissimus, sed etiam lethalis esse solet. Frequentissime hoc evenit dum morbus irregularis est: ejus enim tunc calamitates, praeter indolem summe deleteriam, mul-

tum insuper auget difficillima, quam eo in casu admittit diagnosis. Plurimum igitur interest nosse etiam decursum

## II. Typhi contagiosi irregularis.

§. 21. Superius jam, ubi de praecipuis egissem morbi hujus differentiis (§. 9.), dixi, typhum contagiosum irregularem esse omnem, qui a normali quacunque demum ratione abludit. Exponere quomodo nam abludat, huic tunc reservans loco, hic nunc momentosissimas ejus adducam irregularitates.

§. 22. Solet vero typhus contagiosus irregularis esse, primo relate ad *stadium prodromorum*. Stadium hoc, in regula spatium 3  $\frac{10}{25}$  7 dierum explens, subinde tam breve observatum fuit, ut non ultra 24 horas duraverit, ubi alias per tres etiam septimanas excurrere visum est. Idem frequenter *nullis se manifestat signis*. Hoc quidem non raro etiam tunc evenit, dum morbus decursum secus regularem observat; ast et fit interdum, ut malum hoc, ob mitissimam suam indolem (*typhus levissimus*), non tantum in exordio nullis stipetur phaenomenis morborum, sed ne in ulteriori quidem decursu aliud quid, quam levem temulentiam, et exiguos dolores abdominales, aegrum ne lectum quidem petere cogentes offerat. *Deest* autem stadium prodromorum in typho contagioso, (nisi fors aegritudines alias prodroma typhi dicere velis), penitus, dum ille ex alia quapiam febris originarie, vel saltem sub decursu morbi alicujus febrilis evolvitur.

§. 23. Pluribus longe e respectibus irregularis esse solet typhus contagiosus relate ad *stadium catarrhali-exanthematicum*. Hoc quoque stadium quod communiter per 7 dies *durat*, rarius quidem longius, sed saepe brevius esse consuevit, ita, ut post spatium 3—4 dierum, imo subiinde 24 horarum, aegrum letho, vel nervoso tradat stadio. Porro, *maculae typhosae* saepe nullae efflorescunt, vel potius ita sub cuti manent absconditae, aut tam paucis comparent numero, ut nonnisi diligentissimo cutis universae examine detegi valeant. Purpura haec typhosa interdum eo etiam solet esse abnormis, quod vel debito non erumpat tempore, vel absque ullo saepe prorumpens levamine, mox iterum, cum majori adhuc periculo dispareat. Nec semper maculae hae unicum sub hoc stadio constituunt cutis externae morbum: etenim praeter ipsa miliaria, et petechias ipsas, non raro et tumores glandularum subcutanearum adsunt, *parotitides* puta et *bubones* subaxillares atque ingvinales.

§. 24. Momentosissimas vero sub hac periodo anomalias inducit *conditio* et *character febris*. Haec interdum vel a consueto jam invadendi modo discedit, quatenus horripilationes et frigus, quibuscum intrare solet, jam adeo deficiunt, ut vix observari queant, jam solito breviori durant tempore, jam e contra per plures etiam dies, continuo vel intermittendo excurrunt. Plus adhuc febris peccat eo, quod, quae in regula catarrhalem (*typhus contagiosus catarrhalis*), aliquando tamen etiam rheumaticam (*typhus contag. rheumaticus*), prae se ferre solet formam, saepe characterem eminenter gastricum (*ty-*

*contag. gastricus*), eumque ut plurimum biliosum, ad icterum ipsum usque haud raro exaltatum assumat. Attentione dignissima sub hoc stadio est ea febris aberratio, qua character illius, loco normalis subinflammatorii, excessive phlogisticus (*typh. contag. inflammatorius*) evadit. Febris talis inflammatoria intensior, e majori symptomatum indolem phlogisticam enunciantium (v. §. 12.) vehementia cognoscenda, saepe quidem sola, absque ulla affectione locali eminente adest; haud raro tamen cum illa *inflammationes topicae*, diversissimorum organorum junctae sunt. Ex omnibus his encephalitis, pneumonia, hepatitis, gastritis et enteritis, prout frequentissimas, ita et periculosissimas sistunt typhi contagiosi inflammatorii comites.

§. 25. Haud pauciores offert morbus hic irregularitates relate ad *stadium nervosum*. Quemadmodum stadium catharrhali-exanthematicum, *duratione* sua abnorme, normali raro longius, saepe vero brevius esse consuevit: ita ex adverso stadium nervosum, respectu temporis quod explet anomalum, consuetis 7 diebus raro citius absolvitur, ast frequenter diutius, per 2, 3 etiam septimanas excurrit. Fit non raro, ut *tumores glandularum infra cutim positarum* nunc tantum evolvi incipiant; imo est etiam, ubi *exanthema* typho contagioso propriam eruptionem suam in hoc primum stadio celebrat. *Inflammationes topicae*, sive illae huic a priori sint traditae stadio, sive hic primum evolvantur, ab iis praecedentis cycli non minori frequentia, sed majori potius, ob characterem nervosum aut putridum, pernicie differunt. Idem ferme valet de *gastricis* etiam *symptomatibus*,

quae hic insuper diarrhoea profusa foetidaque, et saepissime etiam vermium secessu aucta sunt.

§. 26. *Febris* tandem, quae sub decursu morbi regulari in stadio quoque nervoso, non tam exhaustarum, quam suppressarum virium notam prae se ferre videtur <sup>13)</sup>, morbo irregulariter decurrente, hoc sub stadio vix non ubique vere, et quidem altiori in gradu adynamica evadit. Febris haec asthenica, cum caractere vel praevalenter nervoso (*typh. contag. nervosus*), vel praevalenter putrido (*typh. contag. putridus*) occurrit. Characterem ejus praevalenter nervosum, sive ille sit erethisticus, sive torpidus, ex symptomatibus sub stadio nervoso typhi contagiosi regularis (§. 16.) enumeratis, plurimum nunc auctis et multiplicatis, characterem vero praevalenter putridum, praeter signa quaedam ibidem jam recensita, ex intolerabili oris, faecum et totius ferme corporis foetore, colore cutis livido, decubitibus gangraenosis, sanguine dissoluto, e diversis partibus profluente, sudore viscido, urina putrida et similibus, observator rite instructus facile detegere poterit.

§. 27. Quotiescunque enumeratae hucdum anomaliae, sub decursu typhi contagiosi, locum habent, ut plurimum ipsum quoque *stadium convalescentiae* vel aequae abnorme, vel nullum plane observari solet. Abnorme est isthoc stadium, si successiva, qua dum normale est distingvitur sanitatis reversio, vel lente admodum procedat, vel recidivae aut aliis aegritudinibus cedendo, ne quidem eveniat. Nul-

<sup>13)</sup> Hildenbr. in op. cit. p. 59.

lum vero adest, si organismus, morbo in prioribus stadiis devictus, novae, (*mortem* puta), tradatur vitae formae. Phaenomena, quibus medicus de infelicibus his exitibus sub hoc stadio admonetur, sunt: exacerbationum criticarum inertia vel defectus, tardus, (*in diem febris 21, vel plane 28 incidens*) hujus stadii introitus, evacuationum criticarum, infallibilium secus horum subsecutae emendationis signorum, ne per sudorem quidem, eo minus adhuc per alias vias, vel saltem insensibiliter contingens eruptio, aut absentia plenaria, vel indoles a normali abludens.

§. 28. Ubi morbus ita imperfecte judicatur, plures ut plurimum septimanae, imo menses integri praeterlabuntur, donec pristina revertatur valetudo; in cuius locum saepe *vix superatus morbus* cum majori adhuc furore *redit*. Saepe tamen *alij* potius *status morborum comparent*, jam *leviores*, ipsa non raro autocratia naturae, frequentius *therapia rationali sanandi*, jam *graviores*, imo *gravissimi*, nec alia saepe ratione, quam morte, frequenter tunc exoptata sufferendi. Huc pertinent: *variae adynamiae nervosae*, uti: *amblyopia*, *susurrus aurium*, *surditas*, *vertigo*, *paralysis*, quin et *mentis imbecillitas*, *forma amnesiae vel fatuitatis se manifestans*; porro *tussis molesta*, *dyspnoea*, *aliaque organorum spirantium mala*; *dyspepsiae item chronicae*; *infarctus hepatis*, *lienis*, *mesenterii*, *uteri*, et his iterum *originem debens hysteria*, *hypochondria*, *icterus*, *hydrops*, *malum haemorrhoidale*, *chlorosis* et *tabes*. Nec una jam vice observatum est, post typhum infeliciter superatum *nasum*, *digitos* imo et *pedem integrum* (*in Hungaria*), *salva vita*, *fatali perivisse sphacelo*.



§. 29. Haud minus rarus est typhi contagiosi irregularis *in mortem transitus*. Haec quidem, ut paulo ante vidimus, saepe vix recensitorum malorum sequela est, alias sub stadio jam catarrhali-exanthematico contingit; frequentissime tamen aeger in hoc morbo letho traditur sub stadio nervoso, et quidem subinde jam die febris 7, subinde 14, subinde 21, ubi morbus ad acme suum, absque subsecuta crisi salutari pertigisset. Solet vero mors haec, quodcumque demum eveniat, semper vel paralytica, vel septica, vel vero, (quod frequentissime, fors unice <sup>14</sup>) locum habet), apoplectica, idque cum vel sine humorum extravasatione, esse.

§. 30. *Cadavera* morbo hoc extinctorum, in putredinem pronissima, *externe* non raro maciem insignem, tumores oedematosos, miliaria, petechias, subinde furunculos, parotitides, bubones, vel plagas gangraenescentes, minus frequenter colorem cutis ictericum, in paucissimis vero casibus vesiculas pestilentialibus similes exhibent. *Interne* vestigia inflammationum localium, in diversis partibus praegressarum visuntur. Sic in cavo cranii, saepe infra arachnoideam lympa coagulabilis albo-opaca, aut pus tenue, cinereum, in ventriculis vero cerebri, et basi cranii serum, aut cruentum extravasatum reperitur; rarissime occurrunt abscessus in encephalo. Haud infrequenter signa inflammationis praegressae potius in organis respirationis, aut deglutitionis, vel in visceribus cavi abdominis deteguntur, ita quidem: ut raro ventriculus, tubus intestinalis adhuc rarius, pars vero hujus

<sup>14</sup>) Hildenbr. in op. cit. p. 157 et sequ.

ileo-coecalis omnium rarissime intacta deprehendantur.

§. 31. Et haec fere sunt, quae terribilis hicce saepe saepius morbus, a primis suis incunabulis ad illud usque tempus, ubi jam nil est, quod ab illo procederet, sub omni, cujus capax est forma, in lucem edere solet. — His ita cognitis, videamus nunc, quidnam fieri debeat, ut debita mali hujus possit formari.

## D i a g n o s i s.

§. 32. Si rerum medicarum non ignarus phaenomena morbosa hucusque enumerata scrupulose collegerit, et serio inter se combinaverit, typhum contagiosum tam regularem, quam irregularem, in plurimis casibus individualibus et cognoscet, et a morbis aliis, uti sunt: *morbilli*, *febris nervosa et putrida simplex*, vel *nervoso-putrida*, *pestis orientalis*, quibuscum magna saepe ei est similitudo, dignoscet. Negari quidem non potest, morbum hunc, astuti instar furis, alienam adeo saepe sub decursu suo irregulari assumere faciem: ut ne expertissimus quidem, eo minus adhuc, qui eum nunquam vidit sanitatis custos, ni omnes intendat animi nervos, a damnosissimis illusionibus securus esse possit. Ast et illud exadverso verum est, proprium decurrendi modum, aspectum aegri peculiarem, ei hominis ebrii haud absimilem, gravitatem totius corporis, sed praeprimis capitis reclinati plumbeam, catarrhum, affectionem hepatis, exanthema sui generis, stuporem insignem, facultatum mentalium langvorem, typhomaniam, anxietatem,

apathiam summam, pertinacem tandem remediis oppositis resistantiam, tam parum debilia latentis etiam hujus hostis constituere signa: ut aliqua saltem ex illis nunquam desint, ex quibus medicus attentus eum, sub qualicunque demum specie comparentem, detegere valeat. Multum praeterea characteristici inest ejus origini. Exponendae igitur nunc sunt typhi contagiosi

### C a u s a e.

§. 33. Primam hujus morbi originem in *depravata*, quem pulmonibus *haurimus aëris indole* quaerendam esse, et antiquissimi jam noverunt rerum medicarum curiosi, et, post praeclara medicorum castrensiū Minderer, Monro, J. a Pringle aliorumque observata, recentiorum nullus non credit arti salutiferae deditorum. Dum videlicet homines sive sani, sive (quod pejus adhuc est) morbo quopiam, praeprimis febrili <sup>15)</sup> affecti, in angustum coacervantur spatium; aër nimiam, quam a tanta talique respiratione et transpiratione experitur mutationem sufferre non valens, eam saepissime subit corruptionem peculiarem (v. §. 9.): qua contingente, specificum hunc, de quo nobis sermo est morbum, ante omnia quidem in illis, per quos laesus est <sup>16)</sup> producere valet. Urbes obsessas, naves militibus, vel et aliis hominibus refertas, carceres, nosocomia, castra, pauperum tuguria, officinas opificum laboribus immundis occupatorum, si debita horum locorum cura non habeatur,

<sup>15)</sup> Hildenbr. in op. cit. p. 289. <sup>16)</sup> ibid. 291.

esse miasmatis quoque typhosi officinas, quemadmodum mea hic vix eget admonitione: ita probe notandum est, vim talem pestilentem aëri paludoso quoque, et qualibuscunque effluviis putridis impraegnato, etsi minori in gradu, inesse.

§. 34. Cujusnam jam omnis haec corruptela sit sive indolis, sive gradus, ni rem hypothesebus expedi-ri posse ratum habeas, tibi me pandere haud valere, ingenuus fateor. Inter sagacissimos quosque, qui vero ingenuosissima sua placita, cum summa saepe utilitate substituerunt, facile certe primus celeberr. Hartmann abditâ naturae hic quoque penetrare conatus est. Interim *chymicam*, quam vir eximius prius (§. praec.) nominatis sub circumstantiis assumit *aëris alienationem* <sup>E7)</sup>, etsi illam ratio multum svadeat, chimia, hucdum saltem non demonstravit <sup>18)</sup>. Nec satis perspici potest, qui fiat, ut aër ipsissima hac sub rerum positione *summe* licet semper noxius, nec tamen ubique ita miasmaticus evadat, ut typhum contagiosum provocare possit. Cel. quidem Naumann <sup>19)</sup> asserit, *causam huius rei quaerendam esse in minori corruptionis gradu, quam sit ille, qui ad provocandam febrim putridam requiritur*. Verum, huic sententiae ea reluctari videtur observatio, qua constat, possibilitatem generationis typhi contagiosi originarii in directa saepe esse cum degeneratione aëris ratione. Nonne, reformidandum huncce morbum, aër exhalationibus hominum morbidorum corruptus facilius parit, quam ille, quem homines sani

<sup>17)</sup> in op. §. 6. laud. p. 69. <sup>18)</sup> Hildeubr. in op. cit. p. 290. <sup>19)</sup> l. c. p. 130. 177. et sequ.

infecerunt? — Id saltem certum est, typhum contagiosum per miasma hocce facillime in hominibus, feбри quapiam sive continua, sive intermittente laborantibus excitari, ita quidem: ut febris tunc intermittens prius in continuam, haec vero, cujuscunque demum indolis, in typhum tandem ipsum degeneret <sup>20</sup>).

§. 35. Evolutus semel typhus contagiosus, quo parasitam suam, et nimis eheu! exitiosam stirpem per millenas propagare valeat generationes, ipse dein parat *contagium*; quod quid in se sit, frustra iterum praestantissima quaeque quaesiveris ingenia. Nec hic tamen potest non commemorari et laudari sententia sagacissimi Hartmann, asserentis <sup>21</sup>), *contagium typhosum nil aliud esse, quam mucum usque adeo resolutum, ut potus in eo hydrogenius notabiliter emineat*. Assertionem hanc, quantumcunque chimia adhuc circa contagia valeat, vero saltem similem esse, inferius, ubi de natura typhi contagiosi sermo erit (§. 43.), patebit. Cel. Naumann <sup>22</sup>) contagium typhosum habet *pro specie infusorii* sub feбри typhode, in sanguine, influxu debito systematis nervosi frustrato, enati. Quem non latet, quomodo se resolutio ad infusiorum habeat generationem, aliquam saltem huic cum Hartmanniana sententia esse affinitatem aequae perspiciet.

§. 36. Ast, quae eruere (nunc saltem) frustra mens cupit humana, incassum salutifera urget ars,


<sup>20</sup>) Hildenbr. in *Op. c. p.* 292. <sup>21</sup>) in *Op. cit. p.* 81. <sup>22</sup>) l. cit. p. 131. et sequ.

missis, sufficiat nobis scire: contagium typhosum esse materiam sui generis, optime ex effectu quem in corpus vivum exserit cognoscendam; quae morbo ad acme suum perducto, in nulla non continetur organismi parte, seu illa sit solida seu fluida <sup>25)</sup>; e quo tamen perspirabili praecipue materia, cutis nempe et pulmonum exhalatis evehitur, quin tamen ideo vis similis conducens oris quoque et narium muco abnegari possit. Est porro contagium hoc *indolis* et *fixae* et *volatilis*. Est indolis fixae quoniam adhaeret longiori etiam tempore immutatum, non tantum cuti hominis, in quo generatum est, sed etiam aliis corporibus, uti vestimentis, utensilibus, chartae, monetae et similibus. Sed et volatilis est naturae: nam atmosphaerae ad majorem etiam distantiam, citra sui decompositionem, et virium suarum inficientium jacturam, unitur.

§. 37. Duplex vero, quo contagium hoc per hominem alterum suscipitur est modus: *per mediatum* videlicet, *et immediatum contactum*, Susceptio contagii, per corporis vel atmosphaerae hominis alterius, corpori vel atmosphaerae hominis typho affecti appropinquationem, dicitur fieri per contactum immediatum <sup>24)</sup>; quae per mediatum audit evenire contactum tunc, dum homo alter seu ex aëre, seu ex aliis rebus extra atmosphaeram hominis typhosi sitis, inficitur. Sua sponte vero patet, cutim externam, membranamque mucosam nares, os, et organa respirationis vestientem, praecipua esse materiam pestiferam suscipientia organa; quemadmodum et id clarum est, me-

<sup>25)</sup> Franc. a Bene l. c. <sup>24)</sup> Hildenbr. in op. cit. p. 115 et sequ.

dicos, chirurgos, parabolanos, religionisque ministros, utpote qui plurimum cum aegris conversantur, convalescentes item, et milites captivos aut transfugas, e typhoso venientes exercitu, esse illos, qui pestilentem hunc fomitem, ipsismet saepe illaesis, frequentissime aliis communicant. Neque enim potentia haec morbifica, etsi per se typho generando par, unquam ita absoluta est, ut specificum, de quo hic loquimur producat morbum, nisi necessaria ad recipiendam ejus actionem adsit dispositio. Hoc idem magis adhuc de typhoso miasmate dicendum est.

§. 38. *Dispositionem* jam hanc, sive illam erga contagium, sive erga typhosum intelligas miasma, in genere nulla quidem aetas, nullus sexus, nulla corporis, vix ulla sanitatis conditio, nulla climatis, anni temporis, aut atmosphaerae ratio, nulla consuetudo, nullumque excludit vitae propositum. Nihilominus tamen, ea quoad omnia haec momenta observata hucdum fuit diversitas: typhum contagiosum jam semel perpe-  

 sos, vel saltem contagio typhoso assvetos, infantes item et senes gravidasque minus, phthisi pulmonali vero et ulceribus pedum laborantes vix vel minime quidem ad typhum contagiosum esse dispositos. Debiles, cachectici, enervati ac exhausti, sensibiliores item et irritabiliores, vel morbo quopiam, prae primis febrili affecti sunt praecipue illi, qui actionem miasmatis typhosi recipiunt (v. §. 34. <sup>25</sup>); per contagium vero, in plurimis quidem casibus aequae hi iidem, in nonnullis tamen epidemiis potius juvenes, robusti et energici maxime afficiuntur. Raro morbus hic, (nisi fors pe-

<sup>25</sup>) item Naüm. l. c. p. 130.

stim orientalem et febrim flavam americanam pro modificatione ejus habeas), extra Europam occurrit. Qualianam momenta disponentia largiantur: adstrictio mentis ac corporis nimia, pervigilium diuturnum, animi affectus deprimentes, alimentorum et potulentorum penuria aut prava indoles, excessus in baccho et venere, vestimentorum defectus, calor tepidus, humidus, cutim relaxans, profluvia praegressa, eum, qui novit, haec omnia totidem esse potentias debilitantes et hypercinesiam exaltantes, non latebit. Plurimum tamen disponentis in epidemica atmosphaerae constitutione offendes.

§. 39. Si, *cur typhus contagiosus decursum nunc regularem, nunc anomalum observet* inquiramus, illud iterum multiplici constat observatione: typhum, ex actione contagii vel miasmatis typhosi in individuum nec aetate, nec humorum copia aut indole, nec virium tenore, nec compagis organicae constitutione, nec receptivitate erga stimulos a medio sive in hanc sive in illam partem multum deflectens, et omni respectu sanum exortum, nulla praeterea praevalentis cujuscumque characteris constitutione epidemica, nec influxibus nocivis qualibuscumque aliis turbatum, mitem ceteris paribus et regularem sequi decursum; irregularem vero evadere hunc sub opposita quomodocumque rerum positione.

A causis disponentibus et excitantibus hucdum enumeratis dependet typhi contagiosi causa proxima seu.



## N à t u r a .

§. 40. Visis vero jam omnibus, quae typhus contagiosus edere solet, et phaenomenis, et quibus ille originem suam debet tam disponentibus, quam excitantibus causis, nulli ut puto non erit in desiderio nosse, quidnam tam memorabilis morbus, mente ab omnibus, quibus sub sensus cadit relationibus sejunctus, et in se solummodo spectatus esse possit. Ast, hoc opus, hic labor est! Haud quidem nos latet, quorum factorum ille sit productum: vivus unus est organismus, miasma vel contagium typhosum alter. Verum quis vitam, quis vita nil minus absconditam novit miasmatis aut contagii hujus naturam? his vero ignotis, quomodo quem producant nosces effectum?

§. 41. Si praecipuos, a primis inde medicinae cultioris temporibus in arte interrogas viros, diversissimas, partim pro epidemiae, partim pro scholae regnantis diversitate, ab illis audies sententias. Hippocrates tamen, et, qui eum usque Galeni tempora exceperunt medici, *causam proximam morborum parum* adhuc curantes, vix aliquid hac de re te docebunt. Galenus, fidissimique hujus asseclae Arabes, et omnes alii usque sec. XVI medici, totam fere typhi essentiam in bile putredine alienata quaesiverunt; imo si Petr. Forestum exceperis, asserentem, *febris pestilentialibus non unam eandemque naturam particularem esse* <sup>26)</sup>, nec sec. XVI medici

<sup>26)</sup> v. Franc. Ochs, Art. med. principes de cur. febr. typh. comp. §. 83.

multum a Galeno et Arabibus discrepant. Scriptores sec. XVII morbum hunc omnes fere ab intemperie humorum, juxta aliquos cerebrum et nervos laedente, derivant. Unicus ex his fuit immortalis Sydenham, qui eam ratione recta et casta observatione dictatam proferret sententiam, *pestim nil aliud esse, quam complexum symptomatum, quibus uteretur natura ad inspiratam cum aëre materiam pestiferam, apostematum specie, vel aliarum eruptionum opera, executendam.* Cel. Max. Stoll eandem ferme cum Galeno fovet doctrinam. Quid cel. J. P. Frank de typho senserit, ex propriis ejus collima verbis dicentis <sup>27)</sup>): „non aliter cum typhode etc. veterum rem se habere observamus: quae vix non semper ad nervosam aut malignam febrem pertinet, cum abdominalium viscerum inflammatione nonnunquam conjunctum.“ Bruno ejusque asseclae, prout omni altero morbo, ita et huic summam contenderunt subesse astheniam. —

§. 42. Ex nostri seculi medicis alii, uti cel. Marcus, Armstrong et Percival <sup>28)</sup>, causam proximam typhi contagiosi in *encephalotide*; alii, duce cel. Broussais <sup>29)</sup>, in *gastro-enteritide*; alii vero, uti cel. Reuss, Omødei et Raimann <sup>30)</sup>, in *specificu cutis et arachnoideae inflammatione* reponunt. Cel. ab Hildenbrand <sup>31)</sup> dicit, naturam typhi hujus consistere in *statu subinflammatorio membranarum mucosarum, ad nervos quoque et sensorium extendendo*; quam cel. Hartmann <sup>32)</sup> in *processu*

<sup>27)</sup> Epit. de cur. hom. morb. T. I. §. 90. <sup>28)</sup> Franc. a Bene l. c. <sup>29)</sup> ibid. <sup>30)</sup> v. Leop. Gerber, Diss. inaug. med. de typho contag. Pest. 1831. p. 21. <sup>31)</sup> in op. cit. p. 142 et sequ. <sup>32)</sup> in op. cit. p. 109 et sequ.

*sphacelisationis* (Sphacelisirungs-Process) *membranarum mucosarum*, et *retis mucosi Malpighii* sitam esse, asserit. Cel. Naumann <sup>33)</sup> morbum hunc *pro specie narcotismi* habet.

§. 43. Ex tanta sententiarum diversitate illud discimus, non ubique unam eandemque, sed variam admodum, ut jam P. Forestus egregie monuit, esse typhi contagiosi naturam. In illo tamen recentiorum principes omnes ferme consentiunt, magnam symptomatibus ejus cum phaenomenis narcoticis esse similitudinem. Narcotica haec typhi contagiosi indoles magis adhuc eminebit, si sententiae cel. Hartmann, asserentis <sup>34)</sup>, *contagium typhosum, indole sua hydrogenica, fortissimis quibusdam narcoticis esse simillimum*, vel minimum veri inesse concedamus. — Ast, etiam si totus morbus revera nil aliud esset, quam narcosis, tam parum ideo illius, quam narcoseos ipsius nosceremus naturam. Equidem illum plurimum dicere censeo, qui ad modum Sydenhami asserit, causam typhi contagiosi proximam in eo fere sitam esse: quod, *dum autocratia naturae mutationem dynamico-organicam, per miasma vel contagium typhosum organismo vivo illatam remove conatur*, sub phaenomenis, in decursu hujus morbi (§. 11 — 19; item §. 22 — 28.) recensitis, *ante omnia quidem febris, tum membranarum mucosarum et integumentorum communium, postremo vero cerebri quoque et medullae spinalis reactio, vario, uti jam vidimus, excitetur* successu. Cum summe momentosum sit, successum hunc in antecessum determinare: videamus nunc, qualenam in singulo casu individuali possit esse relate ad illum

<sup>33)</sup> l. c. p. 130 et seqq. <sup>34)</sup> in op. cit. p. 80 et seqq.

## P r a e s a g i u m.

§. 44. Qui ea, quae superius de decursu typhi contagiosi ad ultimos usque illius effectus persecuto, quaeve nunc de morbi hujus retulimus causis, rite novit medicus, optimum, qui saltem conceditur, de duratione et exitu ejus feret iudicium. Illud unice hic adhuc monendum duxi: primo cautissimam semper in malo hoc, naturae adhuc incognitae, versabilisque ac clandestinae indolis, fieri debere divinationem; tum vero, esse practica quaedam, mitem vel periculosum morbi hujus genium prodentia signa, prudentibus nunquam neglecta medicis, talia puta, quae nec ubique sufficienter perspicitur, neque semper exacte verbis describi valent, et tamen persaepe majorem adhuc, quam rationalia ipsa pariunt probabilitatem. Horum praecipua, prout illa expertissimus in hoc morbo nobis tradit ab Hildenbrand <sup>55)</sup>, hic nunc referre pergo.

§. 45. *Boni sunt ominis*: emesis primis morbi diebus sponte, et cum temulentiae imminutione subsequens; moderata, et caput allevians die 5 vel 7 haemorrhinia; hilaritas matutina, et memoria parum laesa; peripneumonia initio morbi haud gravis; diarrhoea natura sola, principio statim inducta, neque tamen profusa, et cum reliquorum symptomatum moderato tenore conjuncta; sitis in stadio nervoso (si id a stupore non veniat) nec nimia, nec difficulter fallenda; humida sub eodem stadio lingua, vel, quae prius sicca fuit, nunc humescens; ictus arteriarum (systemato

<sup>55)</sup> in op. cit. p. 167 et seqq.

nervoso haud nimis obruto) liberi, et non nimis frequentes; status nervosus mitis. Prompta quoque purpurae eruptio, laeta florescentia et successiva, atque cum levamine contingens ejus die 10 disparitio, ad fausta referenda esse videntur signa.

§. 46. *Malum minantur exitum*: nulla ad emesim primam sive spontaneam, sive artificialem emendatio; magna faciei initio jam morbi alteratio; adipisia plenaria; continuum et vehemens delirium; petechiae praemature erumpentes; signa peripneumoniae vel pleuritidis in nervosum usque excurrentia stadium; tussis continua, cruenta; parotitides cito evolutae, mere symptomatae, prae primis si in utroque latere compareant.

§. 47. *Pessima in stadio nervoso signa sunt*: coecitas, lacrimatio involuntaria, deglutitio difficilis, glossoplegia, continuum murmur taciturnum, supinus suimet ipsius neglectus, gravitas corporis plumbea, petechiae diu perstantes, ictus arteriarum singulares inordinati, frequentissimi, spasmus vesicae urinariae, abdomen ad attactum dolens, assiduae manuum gestulationes, diarrhoea continua, debilitans, dysenteria, impotentia vesicantium.

§. 48. Pulsus et urina infidissima morbi hujus sunt symptomata. — Aphthae oris saepe vermes denotant; singultus vero continuus, versus finem morbi gangraenam, vel saltem gravem intestinorum phlogosim significat. — Gastrica vel syphilitica complicatio mala morbi nimium auget; quod magis adhuc de vitiis organicis hepatis valet; ast hydropici saepe facillime

emergunt. — Pessima apud homines animi affectibus deprimentibus vexatis est prognosis; quae melior in genere statui potest quoad feminas, quam quoad viros; interim graviditas, et puerperium pericula semper augent. — Ante ingruentem convalescentiam incertum semper in morbo hoc est praesagium. — Nec quis unquam pro sano declaretur, donec molestus non cessaverit aurium susurrus.

Haud parum ponderans momentum pro ferendo de hoc morbo iudicio constituit modus, quo ille tractatur. Est igitur in omni casu individuali instituenda debita typhi contagiosi



§. 59. Hanc politicis non secus, ac medicis suscipiendam esse remediis, vel origo illius, ex politico vix non semper fonte scaturiens indigitat: etenim praepedire, ne terribile hoc nascatur malum, prima sane et status et medicorum debet esse sollicitudo. Est tamen omne salutarem hunc scopum assequendi conamen saepe saepius felici successu destitutum; quo in casu utique nil magis unicuique in votis erit, quam ut furienti jam, qui saltem possunt obices ponantur morbo; quod procul dubio iterum non nisi juncta medicorum, et omnium aliorum civium opera obtineri poterit. Sed ne singulorum quidem aegrorum cura ubique possibilis erit, ni medicorum fatigiis commune accedat auxilium; quod non parum et de iis valet, quae post profligatum jam typhum contagiosum fieri debent.

§. 50. Ex omnibus his illud quoque elucescit, totum curae planum *quatuor* in hoc morbo exsequi posse *indicationibus generalibus*. Prima est, ut *praepe-*  
*diatur morbi origo*, secunda, ut *illius impediatur pro-*  
*pagatio*, tertia *singulorum aegrorum sanationem*, quar-  
ta ea, *quae post superatum jam morbum fieri debent*,  
praecipit.

§. 51. *Praepediatur vero morbi hujus origo*, si  
circumstantiae generationi miasmatis faventes, quan-  
tum fieri potest, amoveantur. Exsiccandae igitur sunt  
paludes; homines ad angustum ne coacerventur spa-  
tium; si vero hoc evitari non posset, prout id in  
carceribus, navibus inprimis bellicis, urbibus obses-  
sis, castris, imo ipsis nosocomiis non una vice evenit,  
id adminus agatur: ut in his locis summa semper  
munditiae cura habeatur, aëque quam frequentissime  
reponetur.

§. 52. *Ne morbus jam evolutus ulterius propage-*  
*tur*, eo aliqua saltem ex parte efficiemus: si 1) *op-*  
*portunitates suscipiendi contagium restrinxerimus*, 2)  
*si homines contra actionem ejus*, quantum licet, *prae-*  
*muniverimus* 3) *si contagium ipsum destruere aduisi*  
*fuermus*,

§. 53. *Ad obtinendum primum haec fiant*: Nullus ci-  
vium sine necessitate admittatur ad loca, ubi occa-  
sio adest contagium suscipiendi; illi vero, qui de  
adhaerente sibi fomite hoc morbifico suspecti  
sunt, a non suspectorum commercio arceantur. Hinc  
convalescentes] quicunque ex typho, captivi item et  
transfugae e typhoso advenientes exercitu, etiam-

si ipsimet sani essent, non illico, nec unquam ante delitam sui, et vestimentorum utensiliumque suorum inferius (§. 73.) exponendam purificationem, sanis admisceantur. Si captivi hi vel transfugae aegri essent, non ad cives vel colonos, nec ad nosocomia pro aegris diversis destinata cum his promiscue, sed vel ad distinctum nosocomium, vel ad separatam saltem nosocomii fors amplioris partem, vel ad aedificium quodcumque aliud vacuum, spatiosum et a habitationibus civium quidpiam remotum collocentur. Omnibus his deficientibus, tuguria ex asseribus (*baragues*) extruantur, quae, etiamsi aegros tantum contra pluviam, nives et ventos defendant, si tamen sufficiens illis concedant spatium, scopo suo optime respondent. Magnam quoque hoc respectu merentur attentionem medici, chirurgi, ministri religionis et parabolani. Hi, ne dum aegrorum moliuntur salutem, perniciem sibi aliisque adferant, haud unquam negligendi id sibi duxerint officii, ut ex una parte nunquam aegros accedant, nisi prius cubile, in quo illi decumbunt ventilatum, atque modo mox (§. 56. 57. 58.) commemorando fumigatum fuerit, nec ultra, quam necessum est apud eos commorentur, facieque, quantum fieri potest aversa, sua penes illos peragant negotia; ex altera vero parte, cum hominibus sanis cautissime, vel ne sic quidem conversentur.

§. 54. Interim omnes hae coordinationes, etsi summe utiles ac necessariae, solae tamen, ad modum morbo ponendum minime sufficiunt: siquidem contagium, indole sua volatali, praestantissima quaeque vincat separationis instituta. Oportet igitur, ut, praeter haec, *homines contra actionem contagii, quan-*



*tum fieri potest, praemuniuntur.* Id aliter obtineri nequit, quam minimam, quae possibilis est, in illis procurando receptivitatem erga contagium. Ergo vitentur labores omnes, sive mentem, sive corpus nimium fatigantes, vitentur excessus in baccho et venere, aër conservetur purus, abigatur, vel mitigetur saltem metus, terror et desperatio civium, denique quantum fieri potest, omnis generis hominum indigentis satisfiat. Si tales cautelae unicuique civium necessariae sunt, quanto magis eae sanitatis et animae custodibus, aegros frequentantibus, horumque ministris, verbo omnibus illis, qui propius sive cum aegris, sive cum suspectis, horumque rebus exercent commercium, adhibendae sint, nulla utique eget admonitione. Erit adeoque, cur medici, chirurgi sacrorumque ministri, praeter tutamina hucdum recensita, aegros nunquam jejuno stomacho accedant, post terminatam cum illis conversationem manus, faciem, os naresque aceto quopiam aromatico abluant et eluant, vestitum suum simplicem et levem frequenter mutant et depurandum curent, balneumque tepidum bis terve omni septimana sumant.

§. 55. Majorem adhuc extensioni morbi causabimus remoram, *si destructioni contagii intenti fuerimus.* — Sane, non obstante eo, quod natura inficientis hujus substantiae animalis adhuc omni ex parte cognita non sit, noscimus tamen remedia, quorum virtus eidem contraria per innumeras jam comprobata est observationes. Aliter vero destruitur contagium typhosum, quod aër atmosphaericus susceperit, aliter item illud, quod indolis magis fixae, rebus diversis adhaeret. Quid contra ultimum hoc sit instituendum,

ibi commemorabo, ubi de iis sermonem habuero, quae post devictum jam typhum agenda sunt. Hic saltem de illius destructione summe necessaria adferam; quod natura sua volatili majora minatur pericula, promptamque ideo requirit aggressionem.

§. 56. Destruunt vero hoc optime: *aër purus*, vapores *aceti communis*, *gas nitricum*, et *oxymuriaticum*. — *Aër purus procuratur*, illum ventilatione frequenter renovando. *Ignis quoque flamma*, scopo contagium hoc destruendi, antiquissimis jam temporibus adhibita, aërem solummodo rarefaciendo, et sic renovationi ejus favendo prodest; nihil itaque virtus ejus additis aromatibus, quantumlibet grate nares vellicantibus exaltatur. — *Renovationi aëris utiliter adjunguntur fumigationes cum vaporibus aceti*, qui evolvuntur, acetum commune in vase lato calori exponendo, vel cubile illo conspergendo.

§. 57. Multo efficacius est *gas nitricum*, (a Carmichael Smith prima vice adhibitum), quod tamen, propter indolem suam organa respirationis male afficientem, in locis hominibus repletis minus congrue adhibetur. Si nihilominus usus illius in talibus etiam fieret locis, extricaretur illud semper in aliqua a lectis aegrorum, et comiteo hominum distantia; omnia praeterea utensilia metallica non necessaria removeantur, quae vero removeri non possunt, sebo vel alia quapiam pinguedine illiniantur: ne videlicet gas nitricum, oxygenium suum metallis largiendo, nitrosum, quod magis adhuc noxium est, evadat. Extricaretur autem gas hocce, nitrum purum, quantitatis pro amplitudine cubilis variae, (unc. unius vel plurium), in

vase vitreo vel porcellaneo, arenae calidae imponendo, affundendoque ei quantitatem aequalem acidi vitrioli concentrati, mixtum dein baccillo vitreo vel terreo toties de die commovendo, quoties gas exinde extricare volumus.

§. 58. Magna sua efficacia, et indole organis respirationis minus inimica, plurimum commendari meretur *gas oxymuriaticum*, (a Guyton-Morveau prima vice tentatum), quod duplici prae ceteris ratione parari potest. Unus parandi modus est, miscendo sodae muriaticae partes 10 cum oxydi mangani nigri partibus 5, mixtoque in vase vitreo affundendo acidi sul furici partes 12. — Facilior est methodus recentissimis detecta temporibus, in eo consistens, ut calcariae chloricae, et sulfatis lixiviae aciduli siccati, aequali mensura, quantum pro re nata uno vel duobus cochlearibus coffeatis capitur, ingeratur in patellam vitream vel porcellaneam, quae dein aqua tepida in pulvem molliorem redacta, baccillo vitreo commoveantur. Evolutio haec chlorinae bis terve de die suscipi potest. — Quotiescunque fumigationes haec fiunt, portae et fenestrae per unam alteramve horam clausae servantur, mox dein sine suscipiendae ventilationis, pro aliquo tempore iterum aperiendae.

§. 59. Dum ita propagationi thyphi contagiosi impediendae operam navamus, *aegris* quoque cum fatali hoc morbo colluctantibus *opem adferre debemus*; imo, debita hominum typho affectorum cura optimum est, extensionem quoque ejus praepediens remedium. Quomodo cura haec singulorum aegrorum, typho contagioso laborantium, adornari debeat, optime

nos docent medicorum omnis aevi, circa morbum hunc acta.

§. 60. Longissimo antè Sydenhamum tempore maxima *sudoriferis*, quae materiam peccantem e corpore eliminarent, in typho contagioso quoque habebatur fides. Pathologi humorales, typhum pro feбри putrida habentes, contra illum nil, nisi *corticem chinae* et *acida mineralia* commendarunt. Bruno ejusque asseclae fortissima quaeque *stimulantia roborantiaque*, in hoc quoque morbo liberalissima manu propinarunt. Cel. Max. Stoll bilem etiam in typho contagioso ubique vidit, eamque *emeticis* evacuandam praecepit. Emeticum in malo hocce, (semper tamen ex ipecacuanha et tartaro emetico conflatum), qua remedium partim saburram exentiens, partim sudorem proliciens, hisque ipsis et contagium e corpore eliminans, partim irritationem encephali antagonistiche sufferens, recentiores etiam, siquae celeberrimi therapiae specialis scriptores, uti sunt: J. P. Frank, Richter, Conradi, Raimann, eximius item pyretologus Baumgärtner uno ore commendant. Ipse cel. ab Hildenbrand <sup>56)</sup> observationibus innumeris ductus, ad characterem typho benignum conciliandum, ad anomalias quasdam praecavendas, ad stadium nervosum mite reddendum, crisesque salutare praeparandas, emetico nunc adducto, initio stadii inflammatorii, vel et tardius exhibendo, nil utilius esse asserit. Omnes hos cel. Broussais, in typho contagioso semper gastro-enteritidem, *hirudinibus numerosissimis* impugnandam adesse credens, veneficii

<sup>56)</sup> in op. cit. p. 188,

plane reos accusat<sup>57</sup>, quemadmodum et illos, qui scopo purgante, vel clysmata aegris exhiberent; et tamen cel. Hamilton contra omnem typhum contagiosum haec ipsa *purgantia*, et quidem prae ceteris *mercurium dulcem* quam maxime laudat. Cel. Marcus, Armstrong et Percival, quibus typhus nil nisi encephalitis est, ad eum sanandum *venae sectionem* docent esse necessariam; cel. Currie vero, et post illum Kolbányi, Fröhlich, Reuss, et alii plurimum in hoc morbo *a perfusione aegri cum aqua frigida* expectant. Alii *lotiones cum aceto vel acido muriatico oxygenato* extollunt. Cel. Wolfart, essentiam typhi contagiosi in dysharmonia oscillationum vitalium (*Misstönen der Lebensschwingungen*) reponens <sup>57</sup>), *aquam magneticam et balneum magneticum* omni in morbo hoc satisfacere indicationi, multis centenis exemplis demonstrare conatur. Si homoeopathiae quaerentes, haud minus subtile, in *una billionesima parte guttae unius tincturae belladonnae*, tibi laudabitur remedium. Nonnulli aequae celebres medici, quos inter Jos. Frank, docent, *nullam* plane typhi contagiosi *adhibendam esse curam* <sup>58</sup>).

§. 61. Ex omnibus his sequitur; morbum hunc pro varia illius natura, non ubique uno eodemque, sed vario modo tractandum esse. Maximam hoc quoque respectu diversitatem inducit ejus decursus; quod ut eo clarius evadat, non abs re erit, singillatim pertractare curam

---

<sup>57</sup>) Das Faulfieber, in Aphorismen dargestellt von K. Wolfart, Halle 1814. <sup>58</sup>) Franc. a Bene l. c.

## I. typhi contagiosi regularis.

§. 62. Simplificissimam sane typhus, dum regulariter decurrit, requirit curationem. Quemadmodum enim totus hic morbus revera nil aliud est, quam conamen naturae, organismum, per potentias nocentes prorsus singulares inimica ratione affectum, pristino vigori restituendi (v. §. 43): ita per se clarum est, naturam hanc medicatricem, dum illa debite operatur, per decursum totius hujus processus morborum, ferme tantum vigili, ne unquam abnormiter fungatur, servandam esse oculo. Non est proinde, cur et sub Wolfarti, et sub discipulorum Hahnemanni, vel etiam absque omni cura, multos centenos aegrorum typho affectorum sanatos esse, sive dubitemus sive miremur<sup>59)</sup>. *Studentum saltem erit, in omni casu individuali, aëris puritati et moderatae temperaturae, victui levi, corporis item et animi quieti.*

§. 63. Minime vero, praeter haec et observationem diligentissimam, aliud quid agat medicus in stadio prodromorum, quod utique futurum incerte tantum praenunciat typhum, ne rei, quam vires naturae sibi relictæ fors optime gessissent, mala, imo pessima jaciatur fundamenta. In stadio quoque catarrhali-exanthematico qui, prout natura morbi, sub hoc stadio, et hoc sub decursu semper inflammatorio-catarrhalis, vel rheumatica mitior exigit, aegro suo, penes victum tenuem, emollientia cum acidulis, et prorenata cum nitro, vel sale ammoniaco, aut tartaro

<sup>59)</sup> v. Hildenbr. op. cit. p. 180 et 178.

*emetico dosi refracta* exhibuerit, xatis omnino se praestitisse, sit convictissimus. Imo haec sola per totum etiam reliquum typhi contagiosi decursum praebuisse, innumeris jam suffecit vicibus <sup>40)</sup>; licet haud rari sint et illi casus, in quibus *sub stadio nervoso*, scopo sopitum excitandi systema nervosum, ad *camphoram, arnicam*, aliaque medicamenta positivum sollicitantia principium, *leves item cutis stimulos topicos*, prudens et cautum non obfuit refugium <sup>41)</sup>.

§. 64. Per pauca haec et mitia artis praesidia et emetica, et purgantia, et alia quaevis remedia, quae principes quidam meritissimique de medicina viri in omni tam impense commendant typho, in plurimis morbi hujus non abnormiter procedentis casibus superflua sane redduntur, aegerque sub debito horum usu mox *convalescens*, saepe saepius *solius de in naturae beneficio* sanitati perfectae restituitur. — Magis, imo plurimum, et quidem triste dictu! saepe incassum natura artis flagitat auxilium sub decursu

## II. typhi contagiosi irregularis.

§. 65. Huic itaque, quae in morbo miti, et recta progredientis via, non tantum inutilia, sed persaepe etiam noxia forent, heroica remedia, providus reservare conabitur medicus. Rarius tamen et hic, nec unquam, nisi peculiare et distinctae id exigant indicationes, *ante stadium catarrhali-exanthemati-*

<sup>40)</sup> Franc. a Bene l. c. <sup>41)</sup> Hildenbr. in. op. p. 201 et seqq.

*cum* aliud quidpiam, quam *coordinationem diaeteticam* superius adductam moliendi, et morbo *sedulo attendendi* aderit occasio. Hoc idem ferme *in typho* quoque, qui *levissimus dicitur*, et quidem per totum ejus *decursum* agere, in plurimis certo casibus sufficiet.

§. 66. Eo plura indicantur *in stadio catarrhali-exanthematico*. Non raro initio hujus stadii, febris characterem mitiorem inflammatorum prae se ferente, saburra sursum versus turgescens per *emeticum*, in genere optime *ex ipecacuanha et tartrate lixivae stibiato* compositum, utilissime evacuatur. Saepe natura sordes primarum viarum deorsum versus eliminare nititur, cui tunc, ne fors in sufficienti, per *remedia alvum leniter sollicitantia*, uti sunt: *manna, fructus pruni domesticae, tartarus tartarizatus, arcanum duplicatum* et similia, *in decocto graminis vel taraxaci* solvenda, vel etiam solummodo per *clysmata leniter evacuantia*, succurrendum est. Evenit interdum et id, ut *alvus* nimium libera *refrenari* potius debeat; quod, absentibus omnibus (unicuique medicorum notis) *contraindicationibus*, optime in hoc morbo *ipecacuanha, dosi refractu* exhibita praestabit.

§. 66. Plurima ex his, utut saepe proficua, non salutem, sed perniciem aegro adferunt tunc, dum typhus characterem eminenter inflammatorio notatur, idque eo citius, eoque certius, quo plurimum, quoque nobiliorum una adest phlogosis organorum. Salutifera vero hoc in in casu est *strictior imo strictissima methodus antiphlogistica*. Haec, quam natura saepe ipsa per epistaxim largam, insigne levamen adferentem indigitat, partim *venae sectione*, partim



*hirudinum* ad organa inflammata *applicatione*, partim vero remediis *antiphlogisticis mitioribus*, in cura typhi contagiosi regularis (§. 63.) commemoratis, diaetaque quam minimum stimulante absolvitur. Minus tamen huic scopo convenit sal ammoniacus, minime vero, (ni semper in hoc casu contraindicatus sit) tartarus emeticus; imo praesente gastritide, vel enteritide, aut ne fors organorum urinalium genitaliumque inflammatione, nitrum quoque et acida qualiacunque exhibere vetitum est. Sed et cum sanguinis subductione, praesertim universali, ita in morbo hoc, (characterem nervosum serius ocyus necessario assumente) mercandum est, ut satius quis se egisse reputet, si justo minorem, quam si aequo majorem laticis hujus emiserit quantitatem.

§. 67. Si post factas sufficientes sanguinis evacuationes, symptomata febris inflammatoriae intensioris perdurent, prae primis si meningitis vel hepatitis simul adsit, *mercurius dulcis* a Hamilton laudatus, ad granum unum — duo — tria omni bihorio, donec binae vel ternae sequantur alvi dejectiones, cum summo fructu exhibetur. — Saepe nec hoc adhuc sufficit: febris enim intensa, calor siccus ingens, capitis gravitas nimia, inquietudo magna, delirium, typhomania, cum pulsu jam molli, jam duro, jam frequentiore, jam tardiore, irregulari continuant. Praesentibus symptomatibus his, eminentem cerebri meningumque ejus affectionem indicantibus, ad *perfusiones cum aqua frigida*, (e majori altitudine in caput aegri nudi, cado vacuo impositi directa), a Wright, Currie, Home, Horn, Kolbányi et aliis laudatas, pluries etiam si necesse sit repe-

tendas confugiendum est. Perfusionibus his saepe *fomentationes* quoque *capitis* derasi cum *aqua frigida*, *nivibus* vel *glacie contusa* utiliter substitui, vel et interponi possunt.

§. 69. Remedia antiphlogistica hucdum enumerata, ipsa adeo sanguinis evacuatio eaque universalis, (prout id observationes castae in schola clinica pestiensi quoque cum successu felici institutae confirmant<sup>42</sup>), saepe etiam *sub stadio nervoso*, non raro characterem inflammatorum prae se ferente adhuc indicata sunt. Persaepe tamen, (quidquid Broussais ejusque sectatores asserant), character typhi contagiosi sub hoc stadio vere, et quidem altiori in gradu adynamicus est, ita, ut in plurimis casibus symptomata fere omnia praevalentem debilitatem nervosam enuntient. Recurrendum tunc est ad *methodum stimulantem*, quin tamen haec etiam eadem semper in auxilium vocanda sit. Dum nervi debiles quidem, sed simul stimuli impatientes sunt, *interne* optime *valeriana*, *camphora* (ad grana 4 etiam vel 6 de die), et *spiritus aetherei*; *externe* vero *lotiones*, *fomentationes* ex *infuso tepido florum chamomillae vulgaris*, item *aromatico-vinosae* vel etiam *semicupia tepida*, aut *clysmata* e *floribus chamomillae* vel *radice valerianae* parata, in usum vocantur.

§. 70. Ubi adynamia nervosa cum torpore juncta est, majorem effectum praestant: *vinum generosum*, *arnica*, *aetheres*, *praeparata ammoniae*, et *moschus ore assumta*; licet etiam *camphora*; ad scrup.

<sup>42</sup>) Franc. a Bené l. c.

*semis usque unum* de die porrecta, minime spernendam in hoc quoque casu largiatur medicinam. Juvabit in typho stupido *externe* quoque stimulos varios, uti *sinapismos, vesicantia*, imo aliquando et *moxam* atque *ferrum candens*, nec non *clysmata stimulantia efficaciora* applicare.

§. 71. Praesente sub stadio hoc caractere febris praevalenter septico, pro usu interno saepe jam *acida vegetabilia*, uti *acetum, succus citri* sufficiunt; saepe tamen majorem exserunt efficaciam *acida mineralia*, e quibus *acidum sulfuricum, liquor acidus Halleri*, et *acidum muriaticum tam commune*, quam *oxygenatum* maxime laudantur. Ubi character septicus altius evolutus est, *cortex chinae cum acidis junctus* maxime salutarem, ut magni observatores *Quarin, Richter, J. P. Frank* testantur, producit effectum. *Externe* in typho putrido *lotiones cum aceto simplici vel aromatico*, item *clysmata ex decocto furfurum et aceto antiseptico parata*, adhibere convenit.

§. 72. Aegro in typho contagioso irregulari naturae, et horum remediorum beneficio, ad *stadium convalescentiae* feliciter deducto, adhibita hucdum cum utilitate remedia et *quantitate minori*, et *majoribus* porrigantur *temporis intervallis*; quae vero, ubi convalescentia conspicua jam cepisset incrementa, cum *regimine diaetetico solo*, partim evitationem potentiarum nocentium omnium, partim corroboracionem corporis pro scopo habente, commutentur.

§. 73. *Post superatum typhum contagiosum* qualemcunque, minime nos ab omni labore immunes esse

censeamus: etenim, utut jam morbus exstinctus sit, vivit tamen, et nocivæ diutissime capax est actionis, quod edidit *contagium*. Hoc igitur *conficere*, et occasionem nocendi ei praescindere, prima nostra post sublatum morbum sit cura. Modo fomitem hunc deleterium in aëre suspensum destruendi jam superius exposito, hic saltem rationem, qua ille dum aliis corporibus adhaeret juguletur, commemorabo. Haec vero in alio non consistit, quam ut hominis sanitati restituti cutis universa aqua tepida bene abluatur, cubile, in quo aeger jacuit, ventilletur, parietes ejus abradantur et dealbentur, asseres pavimenti evellantur, vel saltem dedolentur, aut aqua lixiviosa abluantur, vestimenta et utensilia omnia iterum iterumque laventur, atque diu ventillentur. Praeter haec convalescens post exantlatum etiam morbum, per longum adhuc tempus e sanorum consortio excludatur.

Aliud, quod post devictum typhum fieri debet, est *debita morborum posthumorum*, secundum indolem cuilibet eorum propriam *tractatio*.

---